

re (d) & præcipuam appellationem quâ illam dicit *Ξυμένη θεῶν* ac proinde *ἀειχμηὴ καὶ ἀθανάτοις ὁμώνυμον* apponere. Aristotelis (e) loca ferè sunt infinita, quorum hîc saltem quædam vestigia monstrabimus.

§. 8. Inter (f) Latinos quid animæ duratione sanctius? Ex quibus omnibus Senecæ locum non putamus prætereundum. *Animus, (dicit) si proprium ejus originem adspexeris, non ex terreno & gravi concretus corpore, ex illo cælesti spiritu descendit, nec est ratio aliud, quàm in corpus pars divini Spiritus mersa.* Hæc & quæ plura sunt Autorum reliquorum dicta satis evincunt hanc sententiam non esse unius tantum diei, sed continua sua serie memoriaque pervetusta meritò dignam, cui nulla contradicat posteritas. Sin autem Deum, & mundum, & seipsos testes recusant, Diabolum saltem, cui in aliis auscultant, hîc audire non pigeat. Consulenti enim Coraci Naxio de animarum statu, respondit : (g)

ἔχ' ὅσιόν ἐστι τῆς ψυχῆς κατὰ γνώμην θάνατον.

Polyti verò hunc in modum :

*ψυχὴν ἄνθρωπος μέχρι δέσμοις πρὸς σῶμα κρατεῖται,
φθαρτὰ νοῦσαι πάθη θνητῶν ἀληθῶσιν εἶκει
ἤνικα δ' ἀνάλυσιν βροτῶν μετὰ σῶμα μαρτυρεῖν
αἰὲν ἀγήρα.*

Cui, quia sub summi Dei potestate pariter atque reus inter tormenta veritatem profiteri cogitur, utut mendacii sit dux & autor, maxima fides hîc tribuenda. Et quid verbis opus est, ipse (b) Augustinus quasi de impietate triumphans, rectissimè nunc exclam-

(d) Plato l. 5. de Legg. in Phædone in Politic. in Alcibid. l. 10. de Rep. (e) Aristot. l. 2. de Animalibus l. 3. de Anim. l. 10. Ethnic. quem in locum notetur Michaël Ephesius in Ethic. l. 2. Aristot. lib. ult. de part. animal. lib. 11. Metaph. (f) Cic. l. 1. Tuscul. & in Consol. it. de Nat. Deor. lib. 2. de Legib. l. 1. Somn. Scip. Senec. ad Gallion. & Lucill. it. de brevitate vitæ in Quest. & Tract. de Consol. (g) Plutarchus de serâ Numinis vindictâ. Laëtant. lib. 7. cap. 13. (b) lib. XXI. de Civ. D. c. 6. lectuq; dignus est Commentarius ejus Cl. Ludov. Vives in b. l.